



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Constans Defensio, Ex S. Scriptvra, Et Vera Catholica
Doctrina, Atqve Observatione Vniuersalis Christianæ
Ecclesiæ Deliberationis de Christiana Reformatione**

Bucer, Martin

Genevae, 1613

Vtrum Oleatio sit Sacramentum

urn:nbn:de:hbz:466:1-34315

De Vnctione Olei.

VNctio infirmorum fuit signum gratiæ diuinæ in Apostolis, qui ægrotos vngebant oleo, & sanabantur, Marc. 6. De qua vnctione loquitur etiam D. Iacobus, cum ita scribit cap. 5. *f. firmitatur quis inter vos? inducat presbyteros Ecclesie, & orent super eum, vngentes cum oleo in nomine Domini, fideique observatio saluum reddet laborantem, ac eriget eum Dominus, & si in peccati fuerit, remittantur ei.* In quibus verbis clarum est videre, quòd de tali Vnctione loquuntur, per quam infirmo corporalis quoque sanitas debeat conferri. Nam dicitur, *Et fidei observatio saluum reddet laborantem, & eriget eum Dominus.* Hoc donum conferendi sanitatem verisimile est tunc temporis adhuc in Ecclesia fuisse, quare etiam hæc signa tantò melius ad id vsurpari & adhiberi potuerunt. Quamobrem cum presbyteri nostri hoc donum, & promissionem infirmos eiusmodi vnctione sanandi non habeant, neque etiam mandatum habent hoc signum vsurpandi. Sed de hoc latius in Respon- sione ad tertiam Accusationem in secunda parte.

De Matrimonio.

CAP. XXXII.



E sacro Coniugio nihil eorum in Libro prætermis- sum est, quod de eo S. Scriptura docet: & de benedictione nuptiarum nihil ordinavit, quam quod S. Literis quàm maximè consentaneum est. In qua quidem initiatione nouorum coniugum signa gratiæ diuinæ vsurpantur: neque enim ibi frustrà oratur pro gratia Dei nouis coniugibus impetranda, aut ipsi de ea in nomine Domini confirmantur. Verum eiusmodi signa, siue manuum aut Libri Euangeliorum impositio, siue manuum coniugum copulatio: siue annulorum insertio, aut quæcunque alia id genus signa ibi adhibentur, quamuis ea piè vsurpari possunt, peculiare tamen mandatum non habent, quemadmodum signum Baptismatis & S. Cœnæ. Quamobrem necesse est, vt discrimen inter Sacramenta & signa Ecclesiarum obseruetur.

Ex his omnibus hætenus commemoratis, vnicique in promptu est videre, quid Sacra Scriptura de septem exercitiis Ecclesie, quæ ab Aduersariis septem Sacramenta vocantur, testetur: quæ visibilia gratiæ signa & Sacramenta meritò appellentur, aut non: & quæ ab ipso Domino instituta & præcepta sint, aut ex consequenti vsu Domini & Apostolorum, vel etiam veteris populi, pro exercitiis Ecclesie recepta sint: denique quæ ab antiquis Patribus Sacramenta vocentur, aut non. Iuxta quæ omnia, & ex tradito fundamento, breuiter & in summa hæc est responsio ad primam accusationem huius tertie partis, quod Liber Septenario Sacramentorum numero relicto, duo tantum ponat, reliquis verò quinque deroget, quòd sint ab ipso Domino instituta.

Si velimus Sacramenta vocare visibilia signa inuisibilis gratiæ, ab ipso